



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Matrimonialis inter raptorem, & & raptam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

- 2 Promotus ad Episcopatum titulem, non amittit beneficia, nisi per adoptionem pacificæ possessionis, & declaratio, quam ad styllum Curie dat, Abb. in cap. cum in cunctis, §. cum verò de electione, & quæ notat Rom. conf. 335. placuerunt Dominis in vna Panormitana pension. coram D. Fabio de anno 1548.

Et propterea in eadem fuit dictum, non obstante stylo, quod talis promotus pro retentione beneficiorum teneretur soluere annuatim, & quod tamen non esset locus extrauagant. Iulij Secundi, quod retentio beneficiorum concessa promotis, non suffragaretur literis non expeditis, quia ante adeptam pacificam possessionem, cum non vacent beneficia, talis promotus non eget illa retentione, & quia illa extrauagans, non annullat actum, quæ poena nullitatis non procedit, nisi in casibus expressis, l. & si quis, §. Diuus, ff. de relig.

RESOLVT. CCCCXXXV.

- 1 Titulares Episcopi non faciunt spolum.
2 Spolium quid sit.
3 Spolium Episcopi non constituitur ex bonis patrimonialibus, vel ex successione parentum, nec ex acquisitis intuitu Sacerdotalis Ordinis.

Titulares Episcopi, an faciant spolia.

- Quamuis à nemine reperiatur articulus iste discussus, & videatur casus omisus à Iure consultis: attamen nullam habere videtur difficultatem, quin Episcopi titulares nullum faciant spolum, nec eorum bona ad Sedem Apostolicam pertineant, & ratio colligitur ex definitione spolij, quod secundum subiectam materiam diffinitur à Nauarro de sponsal. Clem. §. 7. num. 5. vt sint bona à persona Ecclesiastica, vel redditibus eorum debitis, quæ non fuerunt ante obitum impensa, nec facta iure patrimonialia, nec quæ sita alii irrevocabiliter, vel quæ sita ex illicita negotiatione, diffinit Redoan. vbi supra quæst. 22. Molin. de iustitia disput. 147. fol. 824. & licet negatiuum. Azor. institut. moral. 2. par. lib. 8. cap. 2. qu. 1. verum enim est, quod omnia ea bona, quo Prælati, dum vixit, non distribuit, vel consumpsit, inter spolia computantur, quasi illis bonis morte fuerit spoliatus, vel quod illud spolum in dono defuncti relictum legitimo successoris referatur.
- 3 Ex cuius definitione colligitur Episcopum titulem, cum ipse careat bonis Ecclesiæ, & redditibus illius, nullum facere spolum, cum spolum Episcopi non constituitur ex bonis patrimonialibus, quæ ex legitima parentum, vel consanguineorum successione accipiuntur, vel donatione, vel legato, vel ex emptis, & comparatis ex his redditibus patrimonialibus, quia hæc omnia bona temporalia sunt natura sua, quorum successio ad legitimos Episcopi hæredes, vel ex testamento, vel ab intestato deferretur. Nec secundo, sub spolij nomine, comprehenduntur bona acquisita intuitu Sacerdotalis ordinis, vel personalis industria, seu artificij: in his enim Prælati habentur, ac personæ seculares, illorumque administrationem absolutam consequuntur, ex cap. placuit, cap. quicumque 12. quæst. 3. cap. sicut 12. quæst. 1. cap. quia hos, de testament. vbi Couarr. in cap. 1. num. 3. adeo, vt liceat ex bonis Episcopatus alimenta suscipere, & hæc bona patrimonialia, vel quasi hæredibus referuare, cap. 1. de pecul. Clericor. cap. fixum, & cap. vltim. dist. 12. quæst. 3. Innocent. receptus ex Abb. in d. cap. 1. de testam. num. 2. & in cap. Episcopus de præbendis ei, in cap. postulasti de rescript. dicit communem, Couarr. in d. cap. 1. de testam. num. 2. Nauarr. de redditibus par. 1. quæst. 1.

num. 38. loco de iustitia lib. 10. quæst. 4. art. 2. Sarmiento de redditib. 1. part. cap. 1. num. 18. & colligitur ex Paulo 1. ad Corinthios cap. 9. vbi probat prædicatorib. Euangelij debere sustentationem, licet habeant, vnde viuere possint, sicque procedit Concil. Agatenf. in cap. Clerici omnes 1. quæst. 2. probat D. Thom. 2. 2. quæst. 158. art. 7. in corpore post principium, ibi non bonorum proprium dominium habent, & in eodem articulo, in responsione ad tertium, permittit habentibus patrimonium viuere de fructibus præbendæ, licet contra hanc sententiam teneant Barbaria, & Decius in d. cap. postulasti num. 8. ex autoritate D. Hieronymi in cap. clericos 1. quæst. 2. verior tamen est prima opinio, & ab omnibus obseruata, ex Molin. de iustitia à tract. disput. 142. atque ideo respectu horum bonorum Episcopi reputantur seculares, vt liberè de illis disponant dict. cap. placuit, cap. quicumque 12. q. 3. Nauarr. in apolog. quæst. 1. monit. 15. Valefc. de partit. cap. 35. num. 1. Molin. dict. tract. & disput. 142. & apud nos regia. Ord. lib. 2. tit. 18. §. 7. facit l. 1. C. de Sacrosanct. Eccles. & casu, quo non disponant de his bonis ad hæredes ab intestato deferuntur. Nauarr. de spolij §. 1. num. 14. Barbosa in l. diuortio num. 66. ff. de luto matrimon.

PRAXIS MATRIMONIALIS inter raptorem, & raptam.

RESOLVT. CCCCXXXVI.

- 1 Matrimonium an possit contrahi inter raptorem, & raptam.

Quid disponat Sac. Concil. Tridentin. de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam.

- 1 Attento decreto Sac. Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat. matrim. nulli dubium est, quin raptus dirimat matrimonium, & obnoxius est excommunicationi, & poenis in eo contentis; & ideo nimirum, si inter raptorem, & raptam consisteret nequeat, quandiu in potestate raptoris manserit, secus autem, si extra illius potestatem, ac in loco tuto, & libero constituta; nam poterit, si velit contrahere matrimonium cum raptore, dixerunt Nauarr. in summ. capit. 22. num. 74. & conf. 1. de sponsal. & 2. de raptor. Tolet. lib. 7. Summæ cap. 13. num. 2. Henriq. lib. 2. de matrim. cap. 14. num. 4. Grat. conf. 38. vol. 2. Azueud. lib. 8. recopil. tit. 13. l. 2. num. 74. vol. 2. Eman. Sa verb. matrimonium in princip. num. 9. Viuald. in candelabr. prima par. de matrim. num. 103. Peguer. decil. crimin. cap. 42. num. 2.

RESOLVT. CCCCXXXVII.

- 1 Raptus, qui dicatur ad finem impediendi matrimonium.
2 Raptus non dicitur, nisi fiat de loco ad locum.

Raptus vt impediatur matrimonium ex vi Concilij, quis dicatur.

- 1 Raptum committit, qui mulierem libidinis causa de loco ad locum inducit, vt in casu, in quo consuluit Barbat. conf. 71. lib. 2. & Paulus de Castro conf. 262. lib. 2. & Alexand. conf. 1. lib. 3. & Cepolla conf. 57. & sequent. & Riminald. conf. 17. quod videtur à maiori parte duplicatum conf. 439. & Gratus conf. 38. lib. 1. & conf. 48. eodem volum. & conf. 51. eodem volum. & Soccin. iun. conf. 50. lib. 3. & Crauet. conf. 18. & Roland. conf. 24. in secundo dub. lib. 1.
- 2 Et dicitur de loco ad locum, quia aliter non potest dici

dici raptus, secundum omnes: & hæc conductio de loco ad locum debet esse ad effectum abducendi, non autem causa commodioris coitus; Et ideo, si quis puellam ex vna Camera ad aliam conduxerit, & super lectum proiecerit, non est tanquam raptor puniendus, ut in facti contingentia consiluit Bertrand. conf. 39. lib. 6. Idemque dicendum est in eo, qui puellam inuentam cum bestiis in campis cepit, & per aliquot passus abduxit, ut eam carnaliter cognosceret, ut patet in facti contingentia consiluit, Cuman. conf. 96. Bene verum est, quod etiam si a mouendo de loco ad locum aliquis per vim cognoscat mulierem, licet non possit dici raptus, est tamen actus violentus, & punibilis ad mortem, & ita communiter practicatur, teste Publ. super consuetud. Aluer. folio 27. num. 22. vide, quæ dixi supra, hoc eodem lib. §. fornicatio, vers. omnes autem.

RESOLVT. CCCCXXXVIII.

1 Raptus committitur cum volente, sed an sit verum, distinguuntur plures casus, ut num. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

Raptus commissus cum volente, an impediatur matrimonium contrahendum, abque requisitis Concilij.

1 **T**ota difficultas est videre, an huiusmodi crimen committat is, qui volentem mulierem rapit, aliqui volunt fieri locum pœnæ, iuxta text. in l. prima in §. pœnas, C. de raptu virg. & ita communiter tenere Doctores, dicit Clar. in §. raptus num. 3. dicens, ita fuisse per Senatum Mediolanensem declaratum, Berber. in vitiatorio iur. tit. de raptor. Ratio est, quia nemo est Dominus membrorum suorum, l. liber. homo, ff. ad l. Aquil.

Contra, quod abducens volentem non teneatur pœna raptus, facit significatio verbi rapere, quæ innuit violentiam, ut etiam in titul. vi bon. rapt. Hæc ampliatio est difficilis resolutionis, ut inquit Boss. in ritu de raptor. numer. 5. & 6. ideo sunt constituendi plures casus.

2 Primus, quando est mulier, quæ non est in potestate, & dominio Patris, Viri, vel Tutoris, & sponte sua accessit cum raptore; seu verius abductore, absq; aliqua dolosa suasionis abducentis: & tunc non dicitur raptus, ita tenet Afflict. in consil. de raptu, & violent. lib. 1. quæst. 1. quem sequitur Camer. in pract. §. circa quartum, num. 284. Marfil. conf. 61. & in d. l. penult. n. 16. præsertim si sit meretrix, vel vilis persona, l. verum, ff. de furt. l. vn. in fine, C. de raptu virg. latè Peguera cap. 43. n. 14.

3 Secundus casus, quando talis mulier, quæ in nullius gubernio est, abducitur non sponte sua, sed dolosis suasionibus, & donis inducta fuit; & tunc quidam tenent esse tunc raptum, & violentiam ex ratione, Angel. in authen. de lenon. in fine, qui vult violentiam fieri ex talibus suasionibus, ita voluit Camer. d. §. circa quartum, num. 284. Ludovic. à Peguera d. cap. 43. n. 4. argum. tex. in l. prima §. persuadere, ff. de fer. corrupt. legem, §. si quis volentem, de liber. homi. exhibend. Contrarium tamen in hoc casu tenet Aegid. Boss. dict. ritu de rap. mulier. num. 15. post Castren. & Ang. in l. si eximendi, ff. ne quis eum, qui in ius vocan. subdens ibi Profl. quod si aliter diceremus, totus mundus capite puniretur, & quod in casu isto plus possunt mali mores, quam vis. Et hoc credo verum, quia dicitur, hoc casu magis seductio, quam raptus, quæ longè differunt, nam rapitur inuita, seducitur volens, licet decepta.

4 Tertius casus, si ob id rapitur, ut matrimonium sequatur, & inde communi consensu nuptiæ post raptum celebratæ fuerint: nam tunc licet aliqui velint,

adhuc pœna raptus teneri, exemplo alicuius Historiæ Ducis Florentiæ, & quod capitali pœna fuit punitus quidam filius Senatoris, qui raptam postea uxorem duxerat, scribitur inter consil. criminal. diuerforum conf. 59. in fin. lib. 2. tamen mitiori pœna multabitur, ut concludit dict. Peguera cap. 42. per totum, & pœna raptus liberari voluit, Calder. in cap. si extra de raptos, Castren. in d. l. raptos colum. 2. text. est in cap. penultim. de raptor. Huic tamen conclusioni fortiter obstat dispositio Sacri Concil. Tridentin. cap. 6. sess. 24. de reformat. matrimon. sed illud non procedit, quo ad pœnam corporis, sed tantum quoad solemnizationem matrimonij, & illius illegitimationem, & pœnam infamiæ, & extraordinariam, & hoc casu etiam dotare tenebitur d. cap. 6. in fin. & dicit in stupro supra decil. 3. Virginem stuprans legitur Exod. 22.

5 Quartus casus, quando mulier est in gubernio, & potestate patris, tutoris, vel viri, & ipsa sua sponte consentit abductioni, & hoc casu, quidam putant esse raptum, & ita intelligi dictam legem primam, §. pœnas, ita tenet Afflict. d. consil. de raptu qu. 11. quem sequitur Carrer. dist. §. circa quartum num. 284. Abb. in d. cap. cum causam de raptu, ubi dicit, quod quantumcumque puella rapui consentiat, quoad parentes raptus committitur per text. in cap. de raptor. 36. qu. 1. quia puella, quæ in potestate est, consensum non habet, contrarium tenet Aegid. Boss. d. tit. de rapt. mul. num. 2. citans ad hoc Bald. in l. r. de rapt. virg. vers. vlt. terius oppo. licet ibi apostill. sentiat contrarium, & illud etiam tenet Marfil. conf. 61. post redditum n. 21. ubi ita consiluit in facti contingentia multa citans, & ita declarans dicta verba volentibus, vel nolentibus, & in hoc limitat statutum Lucen. Capitalem pœnam rapienti imponens Ludou. dec. Lucen. 19. licet non euiet tali rapiens pœnam extraordinariam, ut ibi dicitur, & apud nos, vidi obseruatum, & talis abducens punitus fuit pœna ordinaria secundum qualitatem personarum abducentis, & abductæ, ac suæ familiæ respectiue.

Quintus casus est, si rapiat à principio mulierem nolentem, postea consentientem. Nam tunc pœna raptus punitur rapiens. Doctores in d. l. raptos in fine, Cod. de Episcop. & Cleric. Guid. Pap. sing. 569. quem refert, & sequitur Peguera dict. cap. 43. nu. 7. subdens rationem, quia spectatur initium, l. diuus, ff. ad l. Corn. de Syca.

6 Sextus casus, quando mulier est sub gubernio aliorum, & vltius ipsa suasionibus inducta est, & tunc videntur ferè omnes velle, quod sit raptus. Ratio est, quam ponit Terent. in dict. l. prima, §. pœnas, quem ita intelligit Marfil. dicto consil. 60. num. 21. Contrarium tamen, & in hoc casu tenet Boss. d. titul. de rapt. mul. 7. ubi ponit, quomodo probetur, non intervenisse suasionem, & ita in hoc casu censuit Senatus, non esse raptorem pœna raptus puniendum.

Et licet in puella, quo ad raptum committendum, quæ sponte consentit repugnantibus parentibus asseriment Salzed. dict. cap. 78. §. fin. Veg. dict. casu 157. notabil. 1. P. Henric. d. cap. 14. n. 4. Zerola in prax. Episcop. par. 2. verb. Raptus, §. 1. Fr. Emmanuel. d. cap. 232. n. 1. P. Rebello d. quæst. 1. n. 6. Petr. de Ledesm. d. cap. 26. conclus. 2. dub. 1. Negant ex ea ratione, quia iste raptus non repugnat villo modo libertati matrimonij, cui concilium hoc decreto solum voluit consulere, Sanch. lib. 2. P. Valeri Regin. d. lib. 22. nu. 31. & lib. 31. n. 165. vers. 5. Aegid. d. disput. 31. n. 48.

RESOLVT. CCCCXXXIX.

1 Meretricis raptus non punitur.

2 Meretricis raptus, quandoque punitur pœna mortis.

An

An raptus dicatur cum publica meretrice ad effectum impediendi matrimonium virtute Concilij.

ET respond. Marfil. in l. vnica num. 26. dist. quod Doctores tenent, quod non hanc etiam opinionem dicit tenere communiter scribentes, Gomez. super l. 80. Tauri num. 45. Et secundum hanc opin. consuluit Cephal. consil. 140. lib. 1. ad defensionem cuiusdam condemnati de raptu mulieris, non honestæ, dicit tamen Cyn. in d. l. vnica, quod vidit aliquos ultimo supplicio puniri, qui rapuerant publicam meretricem, & illum refert Afflic. super prima part. consil. Regni rubr. 20. num. 7. Refert etiam Grammat. super Consil. Regni fol. 19. col. 1. n. 20. quod cum plures iuvenes, quandam meretricem è postribulo violenter rapuissent, vnus ex eis Febrentinus, qui fuerant principalis, fuit furca suspensus, & alij socii per triennium ad triremes condemnati.

RESOLVT. CCCXL.

1 *Mulier honesta, quæ dicatur.*

2 *Meretrix, an dicatur illa, quæ vnicum tantum cognouit hominem illicito coitu.*

An ad impediendum matrimonium sufficiat raptus cum muliere inhonesta.

Respondeo cum decis. Triuif. 3. vbi honesta mulier dicitur virgo vidua vxorata, vel Monialis, ita in l. vnica, C. de raptu virginum, iste omnes enumeratæ sunt, & quæ a viro cognoscitur, præterquam a marito inhonesta dicitur, non autem meretrix est, quia habet vnicum virum pro Amasio, non dicitur meretrix, ita Purpurat. consil. 265. num. 1. relatus à Bertazolo in consil. crimin. 134. volum. 1. in ultim. addit. & Abb. inter opera in fine de spons. & matrim. & licet non sit honesta, non propterea dicitur meretrix, quia illa recipit vnum tantum, & non plures, & rapiens eam punitur, non pena, l. vnica, C. de rapt. virg. cum loquatur de honestis mulieribus, quæ est vera conclusio, vt leg. vnica habeat locum tantum in raptoribus foeminarum honestarum, non autem inhonestarum, vt Azor. in d. l. vnica, annotat. & allegat. l. virum, ff. de furt. & hoc idem voluit Hyppol. de Marfil. in pract. §. diligenter nu. 106. vbi multos connumerat auctores tenentes hanc opinionem, quæ quidem honestas in mulieribus adeo attenditur, quod ad testificandum super virginitate admittuntur discretæ, & honestæ, notat Bald. & Innoc. in cap. causam de probat. & ampliatur. Bald. ibi, quod etiā si esset nobiles naturali origine, quia meliores sunt boni mores, quam nobilitas, vt refert Felyn. in d. cap. causam de probat. num. fin. Meretrix illa, ergo dicitur, quæ libidinem exercet, & quæ copiam corporis sui facit, atque venalis est, l. palam, ff. de ritu nuptiarum, cap. meretrices 32. quæst. 4. cap. vidua 34. distinct. & probatur esse talis, ex modo procedendi, quia vagatur modo huc, modo illuc, & quæ alienam domum, nunc hanc, nunc illam intrare, seu ingredi consuevit, ita Angel. in l. si qua illustris C. ad S. C. Orf. item ex habitu, quia quis talis præsumitur in quali habitu reperitur, l. item, apud Labeonem, §. si quis virgines, ff. de iniur. ideo rapiens virginem incedentem in habitu meretricali, de raptu non punitur in l. vnica, C. de raptu virg. Carrer. in pract. sua crimin. folio 200. Item ex loco, in quo morari, vel conuersari reperitur, l. qui adulterium, C. ad l. Iul. de adult. & stupr. & ideo statuto Ferrariensi cap. 23. lib. 10. cauetur, vt mulieres meretrices in locis publicis, ipsis destinatis cohabitent, alias puniuntur, & rectè quidem, vt moris est tanti, tamque prudentis Principis Alphonsi Atheftini II. Ducis Ferrariæ V. ex his circumstantijs colligitur, & facillimè

probatur, aliquam non esse virginem, vel honestam, sed meretricem, de qua meretrice dict. l. vnica, non loquitur, nec illius raptor pena illius legis punitur, vt notat Cyn. ibi sub num. 6. glof. in institut. §. item, seu de public. iudic. Paul. Grillan. in tract. suo pen. omni for. coit. cap. 10. nu. 25. notat. Glof. in l. 1. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confug. Abb. in cap. audientia de sententia excommunicat. quæ mulier, quotiescunque causa quæstus duos ad coitum, vel plures admittit, meretrix vtique appellatur, Abb. in allegat. cap. inter opera de spons. & matrim. num. fin. & in cap. decorum, de vita, & honestate Clericorum, clariusq; Ioan. Lup. in rubr. de donat. inter vir. & vxor. §. 4. ex quibus quidem opinionibus deducitur, Afflic. non bene scripsisse in Constitutione Neapolitana 43. lib. 3. affirmantem eam esse meretricem, quæ vnum tantum virum ad coitum admisit causa quæstus, ex l. mariti, §. qui quæstum, ff. ad legem Iul. de adulter. & stupr. cuius sententia, quantum deuiet à vera ratione cõstat aperte, ex eodem text. consideratis vi, & effectu verborum, qui text. loquitur tantum in marito committente lenocinium, & quæstum, ex hoc faciente, in quo satis est semel quæstum accepisse; Ex quibus verbis Afflic. cõfutat sententia, non semper tamen permittitur rapere meretricem, vt non teneatur pena, l. vnica, & hoc procedit, quando meretrix desinit meretricari, tunc enim illius raptus punitur pena, l. vnica, aut continuatur, & non tenetur Glof. & Doctores in l. verum, ff. de furtis, quod colligitur ex signis, quia nolebat amplius peccare, l. Imperialis, C. de nupt. ita Paul. Grillan. in tract. suo de pen. omnifar. coitus, cap. 10. num. 26. Nec attenditur illius meretricis assertio, scilicet, quod penituit, vel penitere intendit, quia penitentia illam verbalemente oppositi præsumpti contradictio, non admittit sicut non auditur, qui negat se possidere, cū possideat, l. non ignorat, cum sequent. C. ad exhibend. Huius meretricis officium venale, adeo infame est, vt mulier, si est nobilis impudicè tamen viuens perdit illicò nobilitatem, Bonif. in tract. de nobilitate par. 3. nu. 194. & ob adulterium commissum amittit dotem, dicit Alexand. Prapost. Cardinalis in cap. ex parte de spons. & matrim. num. 11. & Clarus in §. adulterij, vers. facta autem, & c. quidquid velint quinimò, nedi perdit dotem adulterando, sed etiam alimenta, Bald. num. 2. Salicet. num. 3. in l. quod vxorem, Cod. de neg. gest. Rom. in l. cum dotem, §. si maritus ff. solut. matrim. nu. 25. Bolognin. consil. 23. in fine, & Rinald. iun. consil. 274. num. fin. vol. 3. & hanc esse communem voluit, Grat. consil. 57. n. 2. vol. 1. nisi vir præbisset occasionem adulterandi, & permisisset, tunc enim dotem lucrari, non debet iuxta text. in l. cum mulier, ff. solut. matrim. & licet meretrix se publico lupanari exhibuerit, & prostituerit, quo casu Decius in l. inuitus, ff. de reg. iur. tenet posset cogi à quocunque, soluta mercede, ad coitum motus ex eo, quod actio iniuriarum, non datur meretrici aduersus eum, qui causa libidinis eam interpellauit, ex l. qui iniuriæ, & in l. verum in 2. ff. de furt. cum re vera contra Decium opinio probabilior sit, vt voluit Zasius in rubr. ff. si seruit. vendic. quia non tenetur mortale crimen committere, cum quolibet, ideo compelli non posse, ita Ifern. & Afflic. in Constitut. Neapol. rubr. 20. ex quo quidem, l. vnica intellectu decisum fuit, vt raptor mulieris inhonestæ non tamen meretricis, vt est illa, quæ vnicum tantum habet Amasium, puniatur non pena dictæ, l. vnica, sed grauissimè tamen citra mortem attentata qualitate raptoris, & mulieris raptæ.

RESOLVT. CCCCLI.

1 *Raptus non punitur copula non sequuta.*

2 *Regula, quod in delictis atrocissimis punitur affectus non*

non sequuto effectu quomodo intelligatur, n. 3.

4 Raptus, absque copula sufficit ad impediendum matrimonium.

An raptus, absque copula carnali sufficiat ad impediendum matrimonium, absque requisitis Conc. Trid.

1 **L**icet, quo ad penam raptus excusetur, sic rapiens, ex quo vera, & indubitata est iuris conclusio, rapiensem minime pena raptus esse puniendum, nisi copula sit secuta, quia finis definitionis raptus est propter libidinem exercendam, ideo cessante fine delicti tollitur delictum, quia spectatur effectus, non affectus l. prima, §. fin. ff. quod quisque iur. in ali. stat. Iacob. de Beluis inter conf. crimin. diuers. conf. 9. num. 10. vol. 1. & minus hoc dicendum est, cum in l. vnica, C. de raptu virg. minime reperitur iure cautum, vt absq; copula raptus puniatur pena illius legis, l. si fugitiui, C. de seru. fugit. l. prima in fine, ff. de extraordin. crim. Nec obstat text. in l. is, qui cum telo, C. de Sicar. & in l. prima, §. Diuus, ff. eodem tit. & l. si quis non dicam rapere, C. de Episcop. & Cleric. quia licet, sic dicant, debet tamen intelligi, quod puniantur ex dictis legibus, non tamen pena veluti sic perfecissent, notat Glos. in d. l. si quis non dicam rapere, Cod. de Episcop. & Clericis, lege prima, ff. de extraordin. crim. & l. aut facta, §. euentus, ff. de pœnis, & quod notat Innoc. in cap. tua de symonia.

2 Non obstat, quod in atrocissimis delictis, prout est iste, puniatur affectus non secuto effectu, l. si quis non dicam rapere, C. de Episc. & Cler. Glos. 2. in l. qui ea mente, ff. de furt. & in lege cogitationis, ff. de pœnis, & in lege prima, §. hæc verba, ff. quod quisque iur. quia in delictis voluntas ad actum deducta consideratur, & non exitus, l. Diuus, & l. prima, §. Diuus, ff. ad legem Cornel. de fidei. & l. is, qui cum telo, C. eodem tit. præfertim, quando deuenitur ad actum proximum, vt in hoc casu, in quo mulier ducta alibi fuit dict. l. is, qui cum telo, C. ad legem Cornel. de Sicar. l. aut facta, §. euentus, ff. de pœn. quæ si non abducta fuisset, sed tantum raptor tentasset eam rapere attentatum illud puniretur, tanquam raptus, l. si quis non dicam rapere, C. de Episc. & Cleric.

3 Quoniam respondetur, vt supra dicebamus, quod debet intelligi, vt puniatur ex dictis legibus, non tamen eadem pœna, vt voluit, ac sequitur Triuisan. in decis. 41.

Tamen pro alia resolutione, quo ad pœnam infligendam pro huiusmodi raptu, dico, quod quamuis aliqui dicunt, quod sic, & dicit Boff. in tit. de rapt. mulier. n. 14. quod Ias. in quodam Conc. dixit, quod hæc erat communis opin. & ita seruatum fuisse in Francia, refert Chassen. super consuet. Aluer. fol. 27. num. 19. & fol. 159. art. 1. num. 2. quod ita fuit practicum Cunei ipso existente Iudice, dicens, quod licet ille esset, etiam accusatus de alijs criminibus, hoc tamen, mouit animos Iudicum; Multi tamen tenent contrarium, quod scilicet si eam carnaliter non cognouit, non debeat puniri pœna d. l. vnica, & hanc opin. dicit esse communem, Boer. decis. 316. post num. 4. quem refert Didac. in reper. clem. si furiosus fol. 278. nu. 8. & Viuius in lib. commun. opin. in verbo raptor honeste, & secundum illam dicit se vidisse in facti contingentia iudicari, Ioan. de Ana. in c. cum causa in fine, de raptor. quem refert Afflic. sup. prima p. Constitut. Regni rub. 15. num. 7.

Ego vero dico, quod aut eam non cognouit, quia non potuit id commodè facere, & placet prima opin. vt puniatur pœna dictæ l. vnica, aut non cognouit, quia non voluit, & placet secunda opin. ita tamen, vt puniatur citra mortem ea grauiori pœna, quæ iuxta

Prax. Aloys. Ricc. Pars IV.

qualitatem facti, & personarum Iudicis arbitrio imponenda videbitur.

4 Quicquid tamen sit ex supradictis, quo ad impediendum tantum matrimonium, ex vi Concilij salua tamen determinatione Sac. Congr. Conc. Trid. dicere intrare impedimentum, ex quo, quoad effectum, de quo supra dicitur raptum.

RESOLVT. CCCCLII.

1 Matrimonium an impediatur, si mulier rapiat virum.

An impediatur matrimonium virtute Concilij, si mulier rapiat virum.

1 **Q**uestio est inter DD. an intret pœna raptus, si mulier rapiat virum, & quidem Doctores in hoc variè loquuntur, nam Glos. in d. l. vnica, in verbo sponsam, tenuit, quod etiam mulier rapiens virum causa libidinis, incidit in pœnam dictæ legis, & dicit Marfil. in d. l. vnica, n. 223. quod idem tenent communiter Doctores, quàm refert Gomez, super l. 80. Tauri num. 37. & dicit August. in ea l. in fin. quod secundum hanc opinionem vidit Florentia comburi quandam meretricem, quæ adolescentulum rapuerat; Et hæc etiam opin. practicat in Gallia, vt dicit Pap. lib. 22. tit. 6. Arresto 3. Contrariam autem sententiam, quod scilicet pœna d. l. vnica, non habeat locum in muliere rapiente virum, dicit esse communem omnium Doctorem, Grilland. de diuersis criminibus lib. 3. quæst. 10. n. 23. quem refert in practica Conradus, fol. 370. nu. 3. pract. lod. c. 91. n. 17.

Et hanc ego etiam sequor tanquam tutiorem, & mitiorem, nam in viri raptu cessant omnia fere scandala, de quibus mentionem facit dicta l. vnica, quæ cum valde rigorosa sit, non videtur ita de facili extendenda.

Verum, quoad impedimentum matrimonij, ex vi C. T. quamuis sunt, qui affirmant, prout Rodriquo. regularium c. 232. n. 4. ver. 5. se hæc notat, quæ esse Decreto, ha logar tambien, quando vna muger robusta arrebat a vn hombre de menos fuerzas, P. Hériq. d. c. 14. n. 4. ver. si forte fœmina robusta. Veg. tom. 2. Summ. cap. 34. casu 157. notab. 5.

Tamen negant Fatim. in prax. crim. q. 145. n. 45. Sanch. d. disp. 13. n. 16. P. Rebello d. quæst. 11. n. 6. P. Valer. Reginald. d. lib. 3. n. 165. ver. 7. est, dicit vtramque opinionem probabilem Petrus de Ledesma d. cap. 26. concl. 2. dub. 5. quibus Ego pariter libenter accedo.

RESOLVT. CCCCLIII.

1 Raptus dicitur, qui sit causa libidinis explendæ.

2 Raptus dicitur, quando mulier rapitur de loco ad locum causa libidinis explendæ.

3 Raptus, qui sit causa libidinis explendæ, an impediatur matrimonium contrahendum.

An Decretum S. Conc. locum habeat in raptu, qui sit causa tantum libidinis explendæ.

1 **R**atio dubitandi, vt locum habeat in casu supraposito erat, quoniam conueniebat naturæ raptus, ex quo, vt plurimum sit libidinis explendæ causa, & proinde esse verè raptum non dubitabant Menoch. in conf. 29. Monald. in conf. 72. Alciat. respons. 71. Vrsipell. in conf. crim. 29. Quibus addo Clarum in §. raptu in princip. quem sequitur Triuis. in decis. Rotæ Venetæ 67. par. 2. quo in loco raptum definiendo, dicit raptum committi, quando quis mulierè libidinis causa de loco ad locum inducit, item Capoll. inter consilia sua criminalia conf. 57. n. 1. raptu diffiniuit, quod scili-

Pp cet

et intelligatur, quando quis abduxit mulierem honesta vita, & bonae conditionis, si itaque conducere muliere de loco ad locum causa libidinis exercenda, dicitur raptus, utique N. raptum commisit, & per consequens poena raptus debet puniri.

- 3 Et quod minimè locum habet in raptu qui fit causa libidinis, explendū voluerunt Salzed. in pract. c. 78. in fine, Emanuel. in Summ. tom. 1. cap. 222. nu. 3. in 2. edit. Veg. tom. 2. cum c. 34. cas. 157. notab. 1. Sanch. lib. 7. disp. 13. n. 4. Ledelm. d. cap. 3. dubit. 9. n. 70.

RESOLVT. CCCCLIV.

- 1 Raptus an impediatur sponsalia, quemadmodum, & matrimonium, n. 3.
- 2 Mater per sponsalia, non amittit tutelam filiorum.

An raptus impediatur, ut sponsalia, matrimonium.

- 1 Sunt qui existimant sub Decreto Concilij prohibentis matrimonium contrahere inter raptam, & raptorem comprehendere pariter sponsalia, ex quo per sponsalia devenitur ad matrimonium, ut communiter tradunt omnes in cap. 1. de sponsalibus, & latissimè per summistas eodem verbo, & regula iuris est, ut cum aliquid prohibetur, censetur prohibitum omne illud, per quo pervenitur ad illud, l. ad rem mobilem, ff. de procuratoribus, & l. legatum, ff. de acquirenda possessione, facit text. in l. 2. ff. de iurisdictione omnium iudicum, & in propriis terminis adducitur text. in l. oratio, ff. de sponsalibus, ubi Oratio Imperatorum Antonini, & Commodi, quae quasdam nuptias in personas Senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est, rectè tamen dicitur etiam sponsalia in his casibus ipso iure nullius esse momenti, ut suppleatur, quod orationi deest.

- 2 Et ad probationem adducitur, quod mater per sponsalia non amittit tutelam filiorum, quemadmodum per matrimonium, ut latè per Afflict. in decis. 357. & sponso non competit ius accusandi necem sponsae, quemadmodum marito, Triuis. qui refert de cism in decis. 15. p. 2. & in propriis terminis, ut non prohibeantur sponsalia inter raptam, & raptorem, voluit Rodriguez quaestionum regularium, cap. 232. num. 4. Henricus. cap. 14. num. 4. Sanch. disp. 13. nu. 15. Less. n. 70. verl. 3.

- 3 Ceterum S. Concil. censuit contrarium, ut scilicet sponsalia prohibeantur contrahi inter raptorem, & raptam, sicut matrimonium inter eosdem prohibitum est a Conc. Trid. ita Nauarr. in conf. 4. de raptoribus in novis, quem allegat, & sequitur Galet. in Margarita casuum conscientiae, verb. sponsalia.

RESOLVT. CCCCLV.

- 1 Sac. Conc. Trid. cap. 6. de reform. quid disponat.
- 2 Rapta, quando dicatur in potestate rapientis.

Quando dicatur puella in potestate raptoris, ut impediatur matrimonium inter eos contrahendum.

- 1 Ex verbis Conc. Trid. clarè, & apertè depromitur matrimonium inter raptam, & raptorem omnino prohibendum, donec, & quousque rapta manserit in potestate raptoris.

- 2 Quare fuit dubitatum, quando dicatur rapta in potestate raptoris, ad effectum ut impediatur virtute Concilij matrimonium inter eos contrahi; in quo articulo dicimus, quod licet potestatis verbum multifariam sumatur, ut probatur in l. potestatis verbum, ff. de verborum significatione, & ibidem latissimè per Coras Gallin. & Alciat. & l. vnic. §. in potestate, C. de

rei vxor. actione, & per Pascal. in suo utili tract. de patria potestate in principio, tamen in casu, de quo verba facimus, quando scilicet rapta in potestate raptoris manere dicatur; dicendum extimavi, quoties ei aditus non conceditur liberè de aliqua re disponere, nec suam liberam voluntatem coram aliquo deducere, ut probatur in l. in vinculis, ubi omnes, ff. de verborum significatione, & DD. alibi passim.

RESOLVT. CCCCLVI.

- 1 Raptus dicitur, licet non cum violentia, si tamen fiat muneribus, & promissionibus factis puellae, sed an sit verum, vide num. 2. cum declaratione Auzobis, num. 3.

An raptus commissus solum importunis precibus impediatur matrimonium.

- 1 Sunt qui firmant, quod licet raptus non possit fieri absque violentia, tamen si fiat muneribus, promissionibus factis puellae, & invito patre de domo exeat, & ad ipsum veniat; vocatur raptus, & incurrunt poenae Sacri Concil. Tridentini sess. 24. cap. 6. de reform. matrimon. quae sunt excommunicatio ipso iure, tam rapientis, quam dantis consilium, auxilium, & fauorem, & infamia. Ratio est, quia trahitur homo, etiam amore, & promotorio, siue excitatorio aliquo, ut inquit D. August. tract. in cap. 6. in Ioann. ita tenet, Nauarr. conf. 1. de raptor. & d. simili in Manual. cap. 16. num. 17. & Foller. in practica crimin. prima par. tertiae partis num. 16. Similiter si interueniunt blanda verba, oblectamenta, & promissiones dolosae, & punitur poena mortis.

- 2 Verum pro aliquali dilucidatione supradictae quaestiones animaduertendum, primo raptorem illum esse, qui metu nimis, & violentia rapit mulierem aliquā ipsa inuita. Secundo, qui rapit eam, sed ea non consentiente cum contradictione partis, Dicus Thom. 2. 2. quaest. 154. art. 7. Tertio, qui promissionibus falsis, verbis blandis, & munusculis: Quarto non autem ille ad quem sua sponte aliqua vadit, etiam si vir eam defloret voluntariè, Nauarr. conf. 1. enim primo de raptor. conf. 2. & 3. num. 1. & in Manu. loco cit. Et sic in primo, 2. & 3. casu incidunt poenae, vide Afflict. in conf. si quis rapere in vers. sed quæro num. 4. de rapientibus meretrices, vide in Confit. omnes nostri, vide Dynum in regula scienti, ac consentienti num. 4. & ibi addit Boerij litera B. vide Azon. in summ. lib. 9. eodem rubr. 13. num. 1.

- 3 Quidquid tamen sit, ex supradictis ergo propositae dubitationi, ita distinguendo respondendum censui, quod aut preces sunt tales, quod violentiae equiparantur, iuxta tradita communiter in l. ad inuidiam, C. de ijs, quae vi met. causa sunt, & tradita, Afflict. in decis. 61. Carocc. in decis. 16. de Franc. in decis. 173. & tunc raptum inducit impedimentum matrimonio contrahendo non seruatis solemnitatibus, Sac. Conc. Trident. ita Sanch. lib. 7. disput. 15. num. 12. secus si essent simplices, quo casu non inducunt supradictum impedimentum, ex quo secundum eum non deficit consensus.

PRAXIS LIBERTAS ECCLESIASTICAE TVENDÆ.

RESOLVT. CCCCLVII.

- 1 Libertas Ecclesiastica, dicitur eadem, quae immunitas.
- 2 Libertas Ecclesiastica unde dicatur.

Libert.